



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Petri Laurenii Societatis Jesu, SS. Theologiæ  
Doctoris, & SS. Canonum Professoris Vicarius Episcopalis,  
Sive Tractatus Quaternarius Per Quæstiones & Responsa  
Canonica Deductus**

**Leuren, Peter**

**Coloniae Agrippinae, 1708**

610. An hic Vicarius occuaptus in hoc munere suo, & ideo absens à Choro,  
lucrari possit distributiones.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74203)

non valebat; dum resignatio non nisi coram eo fieri possit, qui habet potestatem invitum destituendi beneficio, quam Capitulum tunc non habebat) non nisi potestate Episcopali sede vacante ad se devoluta potest istorum beneficiorum resignationes non secus, ac dicta potestate recipere tunc potest aliorum beneficiorum resignationes, utpote jam pollens ea jurisdictione Episcopali ad se devoluta potestate illa destituendi quoad beneficia omnia. Jam vero receptio illa resignationum est jurisdictionis ordinaria, & plerumque, ut dictum supra ex Azor, necessitatis, non voluntatis. Unde merito dubitari possit, an non illa potestas recipiendi resignationes ex generali commissione Vicariatus transeat in Vicarium; sicut è contrà indubitatum videtur, illam non transire in illum sine speciali mandato, si Capitulum jam antecedenter sede plena de se habuisset potestatem recipiendi resignationes certorum beneficiorum.

2. Resp. secundò: Resignationes beneficiorum factas permutationis gratia, nullatenus recipere potest Vicarius; quia nec illas recipere potest Capitulum juxta dicta supra.

*Questio 606. Quid possit Vicarius Capitularis vacante Parochia, & in specie circa habendum concursum.*

Resp. Potest Vicarius hic vacante Parochia omnia facere, quæ ex dispositione Tridentini sess. 24. cap. 18. præcedere debent ejus collationem. Sed habita notitia vacationis providere potest illi ecclesie de idoneo Vicario cum assignatione congrua portiois, proponere edita, examinare per concursum deputare Examinatores in Synodo. Ventriglia loc. cit. §. 2. num. 50. sic decisum testans per S. Congregationem Concilii in una Toletana, anno 1577. Quin & procedere potest usque ad dignioris electionem. Ventriglia loc. cit. dicens sic verè servari in praxi, quod Vicarius Capituli factio examine per concursum nominet Papa digniorem. Quin etiam, ut dictum supra ex Cardinale de Luca, & Fagnano, non potest Capitulum juxta dispositionem Tridentini hæc ipsa sibi reservare, aut per seipsum Capitulariter expedire, sed necesse habere illa facere per Vicarium suum. Unde jam etiam inferitur, non egere adhæc Vicarium speciali mandato (etsi de cetero sint diversa: Capitulum teneri facere aliquid per alium: & illum hoc posse sine speciali commissione Capituli) si enim non potest ea sibi reservare Capitulum, ut ait Cardinalis de Luca, & ea aliàs spectant ad jurisdictionem ordinariam, & quidem necessariam, ultra generalem commissionem Vicariatus opus non erit commissione speciali, tamen ea aliàs egeret ad hæc Vicarius Episcopi; dum ei liberum est per se, & absque suo Vicario hæc exercere, non item Capitulo. Porro quod specialiter spectat ad deputacionem, vel subrogacionem Examinatorum Synodaliū, poterit quoad hoc punctum Vicarius, quod supra diximus de hoc de Capitulo, deberique hoc iptum fieri per Vicarium Capituli, adeoque de hoc parimodo, ac de ceteris loquendum.

P. Lewrenii Tract. III. De Cap. sed. vac.

*Questio 607. Num Vicarius Capituli possit transferre beneficia ab ecclesiis collatis?*

Resp. Affirmativè. Fagnan. in cap. his qua. de major. & obed. num. 56. ubi: S. Congregatio censuit, facultatem transferendi beneficia simplicia ab ecclesiis collatis competentem Episcopo ex Tridentino sess. 21. cap. 7. transire in Vicarium Capituli sede vacante: quippe decretum illud non dicit simpliciter: *authoritate apostolica*, sed additâ particulâ etiam, quæ est implicativa jurisdictionis ordinariæ.

*Questio 608. Quid possit Vicarius Capituli circa uniones beneficiorum faciendas, & rescindendas; item circa dismembrationem, & extinctionem beneficiorum?*

Resp. in genere, posse illum, quod potest in hoc puncto Capitulum, proinde videnda, quæ dicta sunt supra. Videtur tamen egere speciali ad hæc Capituli consensu, si non commissione; cum & ipse Episcopus facturus uniones & suppressiones egere videatur consensu (de quo tamen vidè dicta de unione & suppressione beneficiorum in Foro meo benefic.) & requisitione Capituli Cathedralis.

*Questio 609. Quid possit hic Vicarius quoad emolumenta jurisdictionis?*

Resp. Reditus, proventus, emolumenta, etiam sigilli, vel cujuscunque generis, etiam ex jurisdictione provenientia, uti Capitulum, ita etiam Vicarius illius sibi applicare nequit; sed reservanda successori, nisi forsitan alicui sint debita, Pax Jord. lib. 1. 2. tit. 2. num. 22. & 23. juxta Clement. statutum de elect. & DD. ibi. Quin & emolumenta communia ipsi Episcopo cum Capitulo pro ea parte, qua Episcopum contingunt accumulanda, & successori reservanda ab œconomis. Pax Jord. cit. num. 22. ex Quarant. & Cardinali. Hujus rationem, & objecta in contrarium soluta ex Laym. vide supra, ubi num Capitulum sede vacante obtinere possit obvientia emolumentorum spectantia aliàs ad Episcopum.

*Questio 610. An hic Vicarius in hoc munere suo occupatus, & ideo absens à choro lucrari possit distributiones?*

Resp. Vicarius Capituli, dum est Canonicus, seu de gremio Capituli, non solum in absentia lucratur fructus, sed & distributiones. Garcias part. 3. cap. 2. num. 358. citans Pavin. de off. & potest. Cap. sede vac. part. 2. quest. 10. num. 5. Rebuff. in pr. benefic. de Vicar. Episc. num. 5. Quam sententiam tenet etiam Diana part. 8. tract. 2. resolut. 67. citans Escob. de hor. Canon. §. 2. de distribut. nu. 218. Cenid. qq. canon. quest. 1. num. 72. qui tamen posterior idipsum extendit ad Canonicos Cathedralis electos in Vicarios Generales, Officiales, Visitatores, non distinguendo inter Vicarios Episcopi, & Capituli; & etiam ratione horum officiorum assignetur illis salarium.

rium. Contra Barbolam *jur. eccl. lib. 1. cap. 32. num. 39.* ubi expressè: Canonici ex gremio Capituli in Vicarium electus, dum tempore divinorum officiorum suo muneri & officio incumbit, distributiones quotidianas non percipit, ut resolvit Moner. *de distribut. quotid. part. 2. qu. 11. num. 83.* & idem stante consuetudine illum absentem non excusante, admittit Rota *decif. 222. num. 6. part. 2. diversar.* Item contra Trullench. Castrop. Ratio responsionis est: quis Vicarius Capituli censetur esse in servitio ecclesie (secus ac Vicarius generalis Episcopi, potius est in servitio Episcopi) cum magis commodum sit ecclesie, ut deputetur unus, & non exercentur iurisdictionis pertotum Capitulum, Garcias *loc. cit.* Et qui abest pro servitio, & evidente utilitate ecclesie, de iure, etiam cessante consuetudine, non solum percipit fructus, sed etiam distributiones quotidianas. Garcias *num. 359.* quamvis is *ibidem* id limitet: si est præsens in loco, ubi est ecclesia; secus si ab eo abest, etsi pro utilitate ecclesie.

*Quæstio 611. An Vicarius Capituli sibi substituere possit alium?*

**R**esp. primò. Non posse illum sibi substituere alium, nisi ad modicum tempus, & ex urgente & magna causa, ac non nimis frequenter; & id quidem non nisi ex speciali Capituli mandato tradit Ventrigl. *rom. 2. annot. 15. §. 2. num. 27.* ubi: nota, quòd Vicarius Capitularis non potest alium Vicarium substituere sine facultate ei concessa à Capitulo. Imò si facultatem haberet substituendi, adhuc non potest substituere nisi ad modicum tempus, & concurrente magna causa, non nimis frequente, citat pro hoc Riccium *in pr. p. 1. resol. 511.* Vulpe *in pr. cap. 44. num. 17.* Meroll. &c. idem sentire, nimirum opus esse speciali Capituli mandato ad substituendum, etiam ad breve tempus ex urgente causa, qui absolute loquuntur, dicendo Vicarium Capituli non posse sibi substituere alium nisi ex speciali Capituli concessione hanc substituendi potestatem habeat, ut Pirh. *ad tit. de off. Vicar. n. 78.* Videntur tamen in hoc casu, nimirum dum fieret ea substitutio ad breve tempus, ex magna causa, non nimis frequenter, non requirere speciale Capituli man-

datum. Barbol *jur. eccl. lib. 1. cap. 32. num. 56.* Diana *part. 8. tract. 4. reso. ut. 62.* dum sub disjunctione loquuntur, nimirum non posse illum substituere, nisi ad breve tempus, & ex magna causa, vel nisi haberet speciale mandatum à Capitulo, ut possit alium substituere cum clausula: *quem ex nunc prout ex tunc nos substituimus;* ita ut si specialem illum haberet à Capitulo substituendi potestatem, posset illum substituere ad tempus longiusculum, & causâ non adeò fortiter urgente. Quin & indifferenter sine dicta speciali concessione Vicarium sibi posse substituere alium, decisum refert Garcias *part. 5. cap. 7. num. 23.* à S. Congregatione hinc verbis: *ad Vicarium (loquitur de Vicario Capituli) propter ejus absentiam spectat substitutionem facere. Quia decisio si vera est, ait Ventrigl. corrumpit tota machina prioris sententia.* De cetero, quod attinet potestatem, illam substituendi, de Vicario Capituli pariter ac de Vicario Episcopi, nisi in deputatione Vicarii sui alius expresserit Capitulum, loquendum, ait Pax-Jord. *lib. 12. tit. 2. nu. 38.*

**R**esp. secundò. Si Vicarius Capitularis infirmitate detentus, aliòve impedimento occupatus esset, posset substituere quidem, saltem si facultatem substituendi haberet, hoc tamen non obstante, si alium non substituat, potest Capitulum deputare Vicarium alium pro tempore darentis infirmitatis. Ventrigl. *loc. cit. num. 28.* Diana, Barbofa *locis cit.* cujus substituti potestatem non expiraturam, si Vicarius substituens moriatur: quia illam habuit à Capitulo, quod dedit facultatem substituendi, ait Ventriglia *loc. cit.* citans Riccium ubi *ante resol. 512.* Secus videtur, si Vicarius illum substituit independenter à speciali facultate substituendi sibi concessa à Capitulo. Poterit quoque Vicarius ille detentus infirmitate, aliòve impedimento causas tunc coram se pendentes delegare alteri, saltem de consensu ipsius Capituli. Dian. Barbol. *locis cit.* Porro debere substitutum illum habere qualitates illas requisitas in Vicario ipso Capitulari per Tridentinum, habet Ventriglia *loc. cit. num. 29.* & ita decisum à S. Congregatione 17. Maii 1600. testantur ait Sellium *select. Can. cap. 19.*

num. 45.

